

XXV. Hæc autem inquisitio, quam vulgò informatio- nem præviã vocamus, ex iudicis & officio & auctoritate semper fiat necessum est, ait Damhouderus in Praxi re- rum criminal. c. 8. n. 1. additq; n. 2. Nemo enim nisi solus Judex aut iudicis potestatem habens, de crimine efficaciter inquirere potest.

XXVI. Idipsum ordinatum per Edictum criminale Philippi II. de 9. Julii 1580. art. 5. i. extatq; parte 2. Edict. Brabantia lib. 2. tit. 3. c. 1. veratq; sub gravi pœna omnibus Notariis, Secretariis, Graphariis, & generatim omnibus personis, quæ non sunt iudices, nec commissionem aut auctoritatem habentes ad capiendas informationes præparatorias, testes audire, attestations dare, aut speciales actus exercere in causis & processibus coram aliis iudicibus pendentibus: inhibendo insuper iudicibus, ullam rationem habere hujusmodi informationum aut attestatum.

XXVII. Et quidem si de crimine commissio iudici constat sed auctor criminis omnino ignoretur, nullaq; fama, aut indicia hætenus aliquem in particulari de crimine perpetrato suspectum reddant, tunc vel Procurator Regius, Promotor aliusve publicus Officialis auctoritate iudicis generaliter inquit, siue generalem informationem instituit interrogando testes, quos de negotio informatos putat, aliaque tentat, quæ ad detegendum auctorem commissi criminis conducere posse credit. Hæc vocatur informatio siue inquisitio generalis.

XXVIII. Ut autem fiat inquisitio siue informatio specialis contra particularem & individuam personam, debent saltem aliqua indicia præcedere, quæ personam iudici merito de crimine commissio suspectam reddant.

XXIX. Et quidem iure communi inspecto, ac signanter Decreto Concilii Lateranensis in Cap. 24. De Accusat. communiter tradant Canonistæ, non posse iniqui hanc informationem specialem contra particularem personam, nisi præcedat publica diffamatio. Sicut enim (ait Concilium) accusacionem legitimam debet præcedere inscriptio, siue & inquisitionem clamosa insinuatio prævenire.

XXX. Verum ut informatio etiam specialis contra aliquem sumatur, ex praxi hodierna sufficit si indicia habeantur, quæ ipsum de crimine veram suspectum reddunt: quod & notavit Julius Clarus loco citato q. 6. n. 1. Postquam enim dixit, Canonistarum opinionem esse, requirit famam publicam præcedentem, quæ sit vice accusacionis, ut quali populus videatur illum ut Reum criminis iudici deferre, seu apud iudicem accusare subiungit. Sed certe quidquid sit de iure, totum contrarium docet practica, quæ communiter observatur. Iudex enim constituto de delicto, assumit informationes in genere, & interrogat primò testes, quos putat esse de negotio informatos, super veritate criminis, scilicet, cet an sciant, quis maleficium illud commiserit. Et si dicant, se nescire, tunc interrogat eos super diffamacione neminem nominando, sed in genere interrogando, contra quem illius delicti fama laboret: & si ex eorum dictis resultet probatio facta contra aliquem, tunc specialiter contra eum inquit, & ad ulteriora contra eum procedit; vel per citationem, vel per capturam iuxta qualitatem indiciorum.

XXXI. Quin fama contra aliquem de commissio crimine queat aperire viam inquisitioni dubium non est. Quæ autem fama siue diffamatio requiratur vel sufficiat ad inveniendam specialem inquisitionem seu informationem, generaliter determinari nequit: pendetq; plurimum à iudicis arbitrio, qui attentis gravitate criminis, conditione & qualitate, ac bonâ famâ, ac vitæ integritate infamati; nec non personis quæ huic famæ occasionem dedisse creduntur, iudicet, num sufficiens fama sit, ut hic & nunc contra infamatum informatio capiatur. Vide Damhouderum in Praxi Re- rum crim. c. 8.

XXXII. Denuntiatio frequenter quoq; hodie aperit viam inquisitioni seu informationi instituentæ: nam licet de iure communi, præsertim Canonico, iudicium modus ordi-

narius procedendi contra criminosos sit denuntiatio, quæ admodum describitur in Cap. 24. De Accusat. hodie tamen denuntiatio nihil aliud operatur, nisi quod succedat loco diffamacionis vel querelæ, & sic aperiat viam iudici ad inquirendum contra aliquem; adeò quod ita dicatur procedere Iudex ex officio, quando præcedit sola denuntiatio, sicut quædo præcedit sola diffamatio. Ita Julius Clarus q. 7. n. 1.

XXXIII. Observat ibidem Clarus n. 7. quod de consuetudine passim servetur, ut non modò Officialis ad hoc constituti admittantur ad denuntiandum, sed & alii. Idipsum tradit Damhouderus c. 6. monetq; n. 12. Iudicis esse, antequam quædam denuntiationem acceptet, diligenter introspicere, ac animadvertere personæ denuntiantis qualitatem, ingenium, mores, omnesq; conditiones; nec non studiose & accuratè perferuari singulas tam denuntiatoris, quam aliarum rerum penè omnium circumstantias, ne cuius quod huiusmodi rerum neglectu fieri potest temerè odiosam molestiam pariat, ac frustra in graves expensas inducat.

XXXIV. Si quis spontè & voluntariè, non ex necessitate officii, aliquem iudici super certo crimine denuntiaverit, & factâ informatione & processu absoluto repetitur falsò & calumniosè denuntiâsse, poterit denuntiator condemnari in expensas, uti notat Julius Clarus citatâ q. 7. n. 12. & q. 10. n. 4. item Antonius Faber in Cod. lib. 9. tit. 2. Defin. 9. §. 13. qui & dicit, quod instigator accusacionis, qui per calumniam instigasse ex huius eventu probatur, condemnandus sit in omne, quod Rei interest. Adde Paponium lib. 24. tit. 1. arresio 2.

XXXV. Insuper addit Faber citatâ Definit. 10. notâ 4. Quod non cogatur Fiscalis Procurator nominare instigatorem, nisi eo demum tempore, quo ex eventu iudicii apparet calumniosam fuisse accusacionem. Et ideo [ait] non facile debet Procurator Fiscalis instigatorem occultum audire, nisi priùs & privatâ saltem scripturâ subscribat, veramque esse affirmet accusacionem.

XXXVI. In Gallia, si accusati manifestè innocentes reperiantur, Procurator Regius delatorem suum nominare tenetur, propter expensas scilicet, damna ac interesse Parti ad iudicandas, ex Constitutione Aurelianensi art. 37. Verba articuli sunt: Nos Procureurs, ou des hauts Justiciers, serons tenuis nommer le denonciateur (s'il y a eu son requis) apres que la cause aura obtenu jugement & arrest d'absolution, a fin de recours des despens, dommages & interest contre qu'il appartient. Id est. Nostri aut iudicum supremorum Procuratores obstringentur nominare delatorem (si ad id rogentur) postquam causa fuerit per iudicium terminata, lataq; absolutionis sententia, ut ratione sumptuum & detrimenti, recursus habeatur adversus eum, ad quem res pertinebit. Vide Appendicem ad citatum titulum Paponii arresio 3. ubi & notatur, hunc articulum dumtaxat habere locum in casu absolutionis pura ac simplicis, non verò si accusatus in lite ordinaria dumtaxat admittatur, vel usq; ad novum mandatum remittatur sub conditione quotiescumq; se præsentandi.

XXXVII. Si nullus adsit denuntiator, sint tamen indicia non levia contra certam personam poterit Iudex ex officio informationem accipere; ita tamen, ut ritè ponderet indicia, num reverâ sint sufficientia, habitâ consideratione personæ accusatæ, & criminis cuius rea agitur. Nam ex omnium Doctorum sententia in materia indiciorum non potest statui certa regula, sed totum relinquitur iudicio iudicis, qui secundam qualitatem personarum & delicti & indiciorum iudicabit, num indicia sufficiant ad capiendam informationem contra illam personam.

Ne Promotores, aut Procuratores Officii spe alicujus luctri, vel ex alia subinde carnali passione ad informationes contra honestas & bonæ famæ personas nimis leviter profiliant, easq; hoc pacto suspectas reddant & infament, passim ubiq; receptum est, Promotores & Procuratores non posse informationes capere nisi præviâ iudicis licentiâ: atq;

nominatione Statuta huius Universitatis habent; Promotor nullam contra quemquam præparatoriam informationem capiat sine iussu D. Rectoris.

XXXVIII. Hæc informatio præparatoria cum tantum fiat in ordine, ut Iudex sciat, num sint sufficientia indicia ad agendum criminaliter adversus aliquem; aut ut perveniat ad notitiam ipsius auctoris, ideo consuetudine receptum est, hanc informationem seu inquisitionem fieri posse, etiam adversus absentem nulla præcedente contumacia.

XXXIX. Ulterius certum est, quod de consuetudine ac stylo omnium Curiarum in informatione siue generali, siue speciali testes examinentur non citata. Parte siue persona contra quam fit informatio: ne citaretur, posset auferre, aut testes subornare. Vide Julium Clarum in Practica criminali quæst. 11.

XL. Si forsitan adsit denuntiator siue querelator quamvis citari non debeat, tamen cauti & iusti Iudices (ait Clarus ibidem) semper citari illum faciunt ad subministrandum indicia, si quæ habet ad coadjuvandum intentionem Fiscus.

XLI. Deniq; hæ informationes debent accipi quam potest secretissime; ne personæ contra quas inquitur, antequam sint condemnatæ, per hæc contra se institutas informationes infamentur. Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciarum Mechliniensis tit. 7. art. 3. injungunt Promotoribus, ut, caveant, ne quem innocentem per calumniam in jus vocent, aut importunè, vel indiscretè aliquos exagitant, defectusq; propalent; ac accusatos seu inquisitos, præsertim Ecclesiasticos, ante sententiam diffament, sed cum omni modestiâ, integritate, & humanitate officium suum exerceant.

CAPUT II.

De Captura vel citatione personali accusatorum; & quæ circa incarceratos servanda?

- 1 Ex informationibus præviis iudex dispicere debet, num decernenda sit captura?
- 2 Nemo apprehendendus nisi auctoritate iudicis.
- 3 Officarii hodie vi generalis mandati ad apprehensionem procedere nequeunt.
- 4 Quæ à iudice in decernenda captura de iure communi sint attendenda?
- 5 Iuri communi hæc in parte conformes sunt ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum.
- 6 Dictæ Ordinationes vetant apprehensionem personæ notabilis qualitatis, nisi communicatione facta Episcopo aut Vicario eius.
- 7 Captura non facile decernenda contra personas Ecclesiasticas.
- 8 Ordinariè non decernenda contra clericos, si cautionem præstent de parento.
- 9 Synodus Tridentina innuit, non esse decernendam capturam ubi de fuga non timetur.
- 10 Ex communi Doctorum sententia non est procedendum ad incarcerationem, dum agitur dumtaxat de pœna pœnæniaria; & Reus offert cautionem sufficientem.
- 11 Idq; etiam dum Reus crimen est confessus, vel in flagranti delicto est deprehensus.
- 12 Edictum Philippi II. vult relaxari captivos sub cautione, si non planè de delictis constat, nec agatur de delictis atrocioribus.
- 13 Etiam aliquando relaxatio hæc annuenda ubi agitur de delicto capitali.
- 14 Potest interdum iudex accusatum militibus custodiendum vel aliam tuto loco committere.
- 15 Interdum pro cautione fidei iussoria admittenda juratoria.
- 16 Quomodo præbetur accusatum non posse invenire cautionem fidei iussoria?

17 Iure Romano captivi non debent malè tractari sed à custodibus carcerum eis humanitas exhibenda.

18 Consuetudo hoc ius non abrogavit, licet à multis negligatur.

19 Volunt Educa Principum nostrorum, ut causa captivorum celeriter terminentur.

20 Volunt insuper ab inferioribus iudicibus quater in anno transmissi nomina captivorum ad superiores iudices.

21 Præterea singulis mensibus volunt visitari carceres per officarios & iudices, & interrogari captivos super iis quæ ad causæ expeditionem conducere possunt.

22 Item an omnia necessaria captivis subministrantur.

23 Quæ à custodibus carcerum observanda circa captivos, & qui in custodes eligendi speciali Edicto Philippi II. expressum est.

24 Huic Edicto consonant ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum.

25 Ad quid teneatur custos, si eius negligentia Reus è carcere fugerit.

26 Comestiones ius chartarum, inhonesta convetsationes in carceribus non permittenda.

27 Sollicitè à iudicibus attendendum, qui in custodes carcerum eligantur.

28 Iam pridem usitatum fuit per Episcopos carceres visitari.

29 Imperatores voluerunt carceres Episcopis semper patere.

30 Imperator Justinianus optavit bis per hebdomadam carceres per Episcopos visitari.

31 Insuper voluit per Episcopos indicari negligentiam iudicum circa captivos.

32 Carolus præbuit exemplum piæ sollicitudinis erga captivos.

33 Voluit semel in hebdomada visitari captivos cum relatione ad Episcopum.

34 Constituit insuper protectorem incarceratorum, & quod huius officium?

35 Etiam per Episcopum ipsum voluit aliquando visitari carceres.

36 Ex Decreto Concilii Toletani anni 1565. Episcopi quolibet mense carceres visitare debent.

37 Visitatio carcerum per Episcopos aus Pastores valde hodie optanda.

38 Ubi non apparet decernenda captura, locus erit citationi ipsius Rei.

39 Quid citatio personalis?

40 In Edicto Principum componitur cum captura; & quare?

41 Citatus personaliter non potest comparere per procuratorem, nisi ad allegandum impedimentum.

42 Interdum citatio personalis ex decreto Curia convertitur in citationem simplicem.

43 Citati personaliter relaxandi non sunt antequam responderint.

44 Ex Ordinationibus Curiarum Eccles. subinde respondentum personaliter extra materiam criminalem.



Informationibus contra Reum captis, Iudex dispicere debet, num decernenda sit captura ipsius Rei siue accusati; vel an simpliciter citandus, aut saltem sub cautione de se sitendo usq; ad sententiam sibi relinquendus.

II. Prudentis enim iudicis examini tantum relictum est, ut inquirat & iudicet, an apprehensione digna sit diffamatio, quæ contra reum habetur, L. 3. Cod. De Exhiben. reorum, ubi Imperatores præcipiunt, neminem in iudicio exhibendum, nisi de cuius exhibitione Iudex pronuntiaverit.

III. Hinc moribus nostris in vim generalis mandati, & vi officii non possunt Officarii procedere ad apprehensionem personalem, priusquam indicis & informatione præparatoria, facinus exploraverint, & à iudice decretum apprehensionis obtinuerint, uti rectè notat Antonius Perezus ad tit. Cod. de Exhibendis reis n. 1.

IV. Porro Iudex hic attendere debet conditionem personæ

